

*Bibliothèque numérique*

**medic@**

**Le Thieullier, Jean - candidat /  
Guettard, Jean-Stéphane - président. -  
An nervi, Canales ?**

**1743.**

***Paris : Typis Quillau,  
Universitatis & Facultatis  
Medicinae Typographi  
Cote : ms 2329 n°146***



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,  
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS;  
*manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis, vigesima. primâ  
mensis Februarii, Anno Domini M. DCC. XLIII.*

M. JOANNE-STEPHANO GUETTARD,  
Doctore Medico, Præside,

*An nervi, Canales?*

I.



LABORATUM minori arte corpus humanum ne dixeris.  
Isti rideantur Philosophi quos videas insectorum vestigiis affixos,  
& cum illis assiduè reptantes. Hic hebetioris oculi vitro repa-  
rans imbecillitatem, multiplices *aranea* pedes horumque motus  
varios & figuram consulit. Ille, *musca* furentis irritat aculeum,  
ut quomodo vibretur apprehendat. Alius, animalculi parvuli  
corpus, vasculis, nervis, cæterisque partibus instructum stupens, miram Dei  
sagacitatem appellat. Hæc omnia nonnè & fusiùs, & pompâ locupletiori ex-

A

2  
plicantur in homine? Contracta hæc divinæ potentæ delineamenta; num tabellam vincunt ampliorem? Quantus est nostri corporis apparatus! Quàm firma solidorum moles! quantâ vi stat! quanto robore sustinet adhærentia! ne perpetuis ossa deterantur motibus, bino amictu membranaceo investiuntur. Duplicem hanc membranam, exilia permeant vascula, tum sanguinea, tum lymphatica. Hæc interiores ossium cellulas, ipsorumque substantiam utiliter subire, amicè irrorare, novumque semper largiri incrementum quidam suspicantur. Sicque ossa lymphatico penitus imbuta rore, strenuè magis motum exercent. Nec minora fluidorum beneficia, nec minor utilitas. Summus artifex ne quid corpori deesset benigniori curâ indulgisse visus est. Sunt idonea alimentorum masticationi, triturationi, dissolutionique organa; sunt liquorum elaborationi, conversioni, secretioni; sunt eorum denique transvectioni, circulationi, evagationique. Occurunt ubique ductus, cribra, glandulæ, miræque arte distributi canales. Unum quodvis receptaculum, suum ut ita dicam, liquorem expectat, recipit, fovet, cæteris aditum negat. Nec vice versâ liquores unquam legitimum declinantes iter, vetita sibi organorum ostia violare tentant. Non, verbi gratiâ, bilis hepate deserto pancreas occupans, per ipsum filtrationem molitur: nec succus Pancreaticus glandulas hepatis insuetâ infiltrationem subit. Quibus semel legibus adstricta est, has docile fidelis natura servat. Ubi ipsa operi manum admovet, quàm maturè cuncta disponuntur! quantus ordo labores distinguit! eorum quæ hujus auxilio fiunt leve saltem delineamentum accipe. Primò quidem cibos ad nutum stomachus concoquit, præparat. Concoctos intestinis committit, mox in lactis speciem ad lactea vasa deferendos. Evanescere jam crassiores alimentorum fæces: jam liquor benignus adest. Chylus evolvenda brevi fluidorum principia continens, Mesenterii glandulas, cisternamque prætergressus, applicatos ductui thoracico sequitur canales. Ad subclaviam deinde sinistri lateris venam properans, in eâ sanguini permiscetur. Prodit hanc mixtionem exsuscitatus subito corporis levis horror, ob rebelles sanguinis partes, frigidioresque respuentes chylum. Inde unâ cum victo sanguine per venam cavam in dextrum cordis ventriculum molliori cursu delapsus, ex eo cordis vi constrictoriâ per arteriam pulmonalem in pulmones detruditur. Nova protinus ibi subeunda præparatio; novus instituendus labor. Aer externus quem pulmones alternâ vice concipiunt, contentum in ipsismet sanguinem, verberat, miscet, dividit, attenuat, hujus minuit globulos, motuque indefinente adeo torquet & exturbat, ut circulationi aptiores efficiantur, rubrumque tunc induant colorem. Tali agitatione subactus sanguis, jam tum purus sincerusque per venam pulmonalem sinistro cordis ventriculo redditur. Ex eo tandem vividiori caloris gradu refectus, repetitâ cordis contractione per aortam ejicitur. Purpurei deinde rivi plurimos amne pleniori tubos adimplentes, per omne corpus excurrunt. Ne minima quidem dedignantur subire vascula. Quas penetrant partes; has utili recreant igne, suumque ipsis infundunt colorem. Duplex ab omnibus sanguini motus conceditur. Progressivus alter, alter intestinus. Utrumque non una vis excitat. A cordis contractione prior; à simili tunicæ arteriarum constrictione posterior. Hic exoritur ex eo quod fluidi partes totâ vi centrifugâ in poros arteriarum invehit, à contractis muscularis tunicæ fibris, super axem communem repellantur. Nec eandem eodem momento & cordis & arteriarum actionem esse putes. Tum enim harum dilatata patef-

cunt oscula, cùm illius fibræ constringuntur; & vice versâ. Similis namque & pari tempore, ad circulationem male conspiraret utrorumque nifus. Necessè est tale dissidium. Ad vasorum extrema tandem propulsus sanguis minori fertur impetu. Quâ proportionè decrefcit tuborum diameter, eâdem & ipsius velocitas. Tum ejus crassiora, deperditarum partium intervalla implere, superstitum poris misceri, adhærescere, agglutinari, & in eorum substantiam verti coguntur. Fluidiora vero ab osculis vasorum lymphaticorum; in ultimos capillarium sanguiferorum fines hiantibus exsuguntur, combibunturque. Novo dein lymphæ vel succi nutritii nomine insignita, lætam universis partibus humiditatem, & nutrimentum simul impertiunt. Verùm hâc tam variâ, tam locuplete vasorum compage instructus homo, quid est? Mera moles, vasculis quidem mirifice disseminata, vegetantium æmula. Gravem hanc expergeficiamus molem: hanc sensationibus excitemus. Organa sensus habentur nervi. An dicendi Canales? Id non temere asseri posse videbitur, si probetur *in ipsis contineri fluidum duplex, unum sensibus obvium, alterum imperceptibile, sine quo tamen & sensationes & sympathici motus exoriri nequeunt & explicari.*

## I I.

OMNIA secretionibus eunt in corpore humano. Has functionum principes meritò dixeris. Illis enim non ritè celebratis, prava imprimatur omnibus humoribus *diathesis*, mendosusque conficitur succus nutritius. Eas absque legitimâ organorum distributione perfici non posse liquet. Ideo tot sparsas ubique glandulas, tot evagantes reperias ductus. Omnem machinæ compagem unum idemque cribrum vocat *Malpighius*, nec jam ab ullis carpitur: Oculis namque anatomicis quælibet inspecta pars vel tubosa, vel cellulosa cernitur. Nec ipsamet ossa nec cerebri molem exceperis. Hujus in aquâ calenti si per aliquod tempus corticalis substantia demoretur, tum vasa, tum glandulæ prominentes emicant, merus adest earum apparatus, artificiosaque collectio. Ex his omnibus & singulis densissimum abire videtur tubulorum examen, quos si sequaris in medullam oblongatam rectò eadentes animadvertas. Ex iis & callosum corpus & utraque medulla conflantur. Quin & ipsamet pia mater membranula licet exilissima paribus quoque glandulis sibi adhærescentibus intertexta & quasi cælata est. Istud ope microscopii faciliè detexeris. Id etiam sequens docebit experimentum. Proluatur in aquâ repenti pia meninx, cùmque fuerit penitus madefacta, inspicatur. Turgentia tum, glandulosa mirum in modum granula exurgunt; oculisque capitis hydropem mentiuntur ebibito liquore tumentia. Verùm ista glandularum adeo mira congeries, quâ mente, quo consilio extracta? Earum collectioni impensius incubuisse natura videtur quam ut nihili sint. Quidnam ab eâ commodi in exequendis cerebri functionibus venit? vel quænam elicitur utilitas? at ipsarum, & cæterarum corporis glandularum figuram & functiones perpende, compara. Eadem utrisque structura, excretorii ductus ex utrisque pendent ferè similes, solâ forsan mollitie dissentiant. Quo tendant ista jam nunc suspicaris? Num, quæso, tot concessis paribus, pares usus, pariaque officia negaveris? Cineritiam igitur cerebri, & cerebelli substantiam, velut incerniculum habueris, receptaculis pluribus glandulosis distinctum. In-

A ij

ter hæc tamen, & cætera per totum corpus disposita hujusmodi filtra discrimen possis arguere. Posteriorum enim est edulcorare, transcolare liquores, vel nutritioni partium, vel motui imprimendo idoneos. In priorum verò sinu, illud exprimitur exacuiturque fluidum sensationibus excitandis inserviens, & omnis sympathiæ principium. In ipsorum etenim gremio, & succum nerveum & spiritus animales gigni elaborarique mox evincetur. Quânam arte, quibus ambagibus ista operetur omnium longe difficillima secretio jam acceperis. Ubi è sinistro cordis ventriculo sanguis emicans evomitur, subtilior ejus acies in ascendentem aortæ truncum rapitur, avolat. Truncus iste cum rectò affurgat, ad evehenda liquoris crassiora parum idoneus. Fluidi superfluitis pars carotides, pars vertebrales implet arterias. Inter utrumque deinde post medullam oblongatam in eundem redeunt amnem. Mira carotidis in calvariam intromissio. Ubi ad specum ab ingressu sinus lateralis efformatam pervenit multiplices dare reflexus gaudet. Vario incurvata modo, ipsiusmet ossis cuneiformis substantiam excavato sibi canale penetrat. Ascitiâ insuper tunicâ crassiore involvitur. Mambanaceam hanc ex osseo ductu erumpens deponit vestem; craniumque amictu proprio defensa subit. Tandem, mox depressor cursu quasi evanescens, mox altius evecta, super sellam turcæ diu cunctata emergit. Delitescentem ibi glandulam pituitariam innumeris invadit ramificationibus. Per eas, in ipsâmet glandulâ exonerantur noxiæ fluidi ferositates. Inde per infundibulum in jugularem venam depluunt, inopem spirituum sanguinem benignâ humiditate recreaturæ. Sic expeditior factus, soloque dives spiritu sanguineus latex, per majores carotidum ramos effluit facilius. Eos inter hemispheria cerebri repentem videas. Mille scaturiunt exinde rivuli; mille sobolescunt mirificè implexi canales. Meandrum erroribus lusuque opposito & quidem non injucunde referunt. Verùm jussus error, jussa confusio. Serpentine enim meatus abreptum vividiori circulatione sanguinem coercent; Violentiores frangunt impetus; nec eum tardum esse sinunt. Rapidiori motu intercepto, intestinus exurgit labor. nova fit subtiliorum partium divisio, sublimatioque. Insignia tum meningis utriusque beneficia. Cum abundanti vaporum distributione discriminetur ipsarum contextus, sanguinis tum intra vasa, tum intra sinus contenti motus, amicis partium subtilisationi jugiter alit calorem, unde etiam spirituosus liquoris extillatio possit excitari. Insuper, totam cerebri molem adeo circumvallant, ut subtiliores particulas & ad avolandum magis præpetes frænari ac in partes subjectas retorquere valeant. Ista verò sanguinis defæcatoria, in intimis cerebri, cerebellique poris ac meatibus instillantur necesse est. Ibi fermento subjacentium inspirata in meros spiritus animales demum exaltantur. Tam volatilis auræ tantus secernendæ labor!

### III.

**S**PIRITU animali nihil subtilius. Si per ampliorem tubum fluido densiori, Non impeditus expatiaretur, avolaret. Quot sensationes, quot etiam dulces interirent sympathici motus! perit intercepta mentis cum corpore communicatio. Hebescit stimulus ille homines ad ardua excitans. Omnis evanescit sensus. Num vero sine sensu vita? Sed ista procul. Hæc ne fieret exhalatio natura providit. Socium spiritibus animalibus addidit liquorem. Ille eos undequaque involvit, ipsorumque & vehiculum & vinculum simul habetur. Horum

3

distributioni favet. Evagationem reprimat. Felix impedimentum est. Succum nerveum dicunt. Fluidi animalis moderatorem rectius appellaveris. E' sanguine, cerebri & cerebelli exteriores oras irrigante perpetim extillat. Caudicem exinde transmeat medullarem, mollique affluxu per omnes nervorum propaggines abit. Quantâ polleat utilitate jam subodoras. Ex sequentibus clarius adhuc elucescet. Si in nervis aut fibris ille deficiat humor, spiritus animales protinus à se invicem distrahuntur; jam liberi debacchantur, suos inflectunt canales, eosque ac vicinas partes spasmodicis exagitant. Non frequens adest ea succi nervei penuria. Advehit huic latici subsidia liquor alius. Huic deficienti succurrit. At ipse sanguinis beneficium est. Arteriæ enim non modo medullam ipsam, sed & majores nervorum truncos affecutæ sanguiferos ipsis ingerunt furculos. Duplex huic succo motus impertitur. Alter legitimæ rectæque determinationis, alter refluus, quo nempe liquidum retrorsum tendere & quasi retrocedere videatur. Hinc est quod nervorum extremitates partibus quibusdam immersæ; humorem quo saturatæ turgescunt, aut hujus saltem profluvia excipiant. Quæ deinde ad cerebrum deferuntur. Illud saltem *extra* \* *dubium est, fibras ac filamenta nervosa quæ sensorium gustus atque viscera cœli-*  
*ni dicata amplectuntur, ab alimentis ingestis libamina quadam excipere.* Hæc spirituum interdum compensant inopiam & nervos non respuendâ irroratione solantur. Nonnumquam fibrarum nervearum oscula, è visceribus infesta benignorum loco exhauriunt. Inde cerebrum perperam affici non raro deprehenditur: Succum nerveum nutritio succo congenerem nonnulli prædicant. Quibus assentiri nihil vereamur. Dissimilis utriusque spissitas. Quot autem ambobus convenientia? Utilitas ipsorum eadem; ipsorum est & commune munus. Unde enim nervi incrementum, unde nutrimentum habent? Utrumque illis à liquore ipsofmet irrigante maximâ saltem ex parte subministrari fatentur. Hoc quidem æmulam nervei & nutritii liquoris indolem quamapertè docet. Nec priorem, omne nutritionis opus in se recipere arbitreris. Socius tantum huic absolvendo muneri famulatur. Socium dicimus; at certè necessarium. Illo enim depravato, vel deficiente; cadit interrupta vel pervertitur nutritio. Quâ ratione huic perficiendæ conferat, interrogas? Hanc verisimiliorem habe. Vasa sanguifera non musculos tantum, imo membranas, ossa, ipsosque nervos ubi vis ferè subsequuntur. Iis omnibus uberrimam canaliculorum seriem inculpant, infigunt. Ad capillaria propulsus sanguis, nutritiam suppeditat materiam. Hæc partium omnium principia & quasi stamina continet, quorum configuratio, aptaque dispositio ab humoris nervosi adventu & *Ερεπτική* dependet. In his enim duobus stat omne nutritionis negotium; tum ut stamina debitâ proportionem protrahantur, & mole accrescant, tum ut vacuola deperditis relicta partibus continuâ approximatione adimpleant. Priusquam sibi dicata subeant spatiola, fit horum exquisita secretio, ita ut nec ossibus, carneis, nec carneis ossibus partes applicentur. Ut sagax iste delectus operetur, *vi* quâdam *directrice*, vel *motu* velut *elastico* aliundè quàm ab ipso sanguine adscito opus est. Huic enim oneri sustinendo videtur impar spiritu animali destitutus sanguis. Ipsi succurrit in nervoso genere luxurians humor. Ille spiritu animali abundè dotatus, ad omnes munificè partes affunditur. Arterioso deinde latici subtilis & spirituosus occurrens, crassiorem eum excitat, exacuit, inspirat, ad exequenda nutritionis opera instruit, & locis quibus adhærescere debet accommodat.

\* Willis.

A iij

**I**N Corticali cerebri substantiâ elaborati secretique spiritus animales & nervus liquor, in medullaris substantiæ tubos abeunt. Eos undequaque intercipit callosum corpus antequam ad medullam oblongatam pervenerint. Medium hanc inter & cerebri molem obtinet locum. A posteriori velut oppressum, medullam vicissim premit. Sensorium commune à plerisque dicitur, à quibusdam imaginationis sedes. Alii sensum communem corporibus striatis committunt. Nec desunt qui calloso corpori animam infigant, unde, velut è folio, functiones omnes sublimis regat. Quibus ego minimè succensere velim. Nec eam ipsis opinionem arrisisse miror. Delusit eos perpetuus spirituum animalium ad hanc partem affluxus, horumque major ibi, quàm in cæteris cerebri partibus copia. Exinde medullam oblongatam permeant. Nervorum ope universo corpori distribuuntur. Nec alios ipsis & nerveo liquori quæras canales. Nullos eorum circulationi aptiores reperias. Nullos etiam sensuum, sympathicorumve motuum communicationi magis idoneos. Quod spectatâ illorum Naturâ videbitur inconcussum. Ex funiculis pluribus nervus unusquisque constat. Filamentorum fasciculus dici potest. Tot filamenta, tot ductus. Quævis fibrilla, canalis est. Ex majori vel minori fibrarum sociarum numero, major vel minor exurgit truncus. Fila hæc postquam in unum coalescere, distincta remanent. Certè ne fluidi animalis turbentur undulationes; misceanturve sensuum impressiones variis illatæ partibus, & in eundem demum occurrentes truncum. Ne tamen funiculos adeò disjunctos putes, ut nulla sublateat inter ipsos commercii via: jam verò omnis tolleretur sympathia. Tubuli omnes nervei ramulis admodum gracilibus inter se committuntur. Quo posito servatur illæsa motuum communicatio. Nervorum substantia duplex; altera membranosa, & exterior; altera medullaris, & intima. Illam impetu primo sensibilibus objectorum motus afficit. Hæc strati mollioris instar spiritus animales succumque nerveum fovet, demulcet; horum tumultus amica sedat. Quas ab involvente membrana recipit impressiones, leniter ipsis insinuat. Duriorem enim substantiam delicatius exhorrescunt. Siquæ à firmioribus canalium parietibus violentius repeilerentur, orgasmus adesset difficillimè compescendus. Nervi, multiplices, vasorum sanguiferorum ritu, ramificationes edunt. Hæc, partes quibus implantantur sympathicas reddunt. At sympathiam ibi jam multoties appellatam rides. Peropportunè excogitatam objicis, ut incognita nec unquam fortasse cognoscenda explicentur. Nihil fictitii, nihil occultas veterum qualitates redolentis vox ista præbet. Nec multus in eo probando labor. Sympathia, quid est? Consentanea diversarum partium affectio, objecti sensibilis impressione excitata. Varia, pro vario spirituum animalium impulsu & reflexione. Mechanices legibus tota subservit; vel potius negotium est merè mechanicum. Nervi membranosa pars, prima vim experitur. Tum enascuntur in ipsâ subsultus & vibrationes. Quæ fluido animali intus sublabenti *motus undulatorios* imprimunt. Hi deinde objecti applicatione, ad cerebrum successivâ corrugatione extenduntur. Ut enim perfecta absolvatur sensatio, contrariæ & fere simultaneæ requiruntur spirituum determinaciones. 1<sup>o</sup>. enim ab objecto quodam exagitati, cerebrum motu legitimæ circulationi opposito petuat; ibi sensus exoritur. 2<sup>o</sup>. Ad par-

7  
tem unde exturbaverat eos objecti sensibilis impressio remeare coguntur ; tunc integra percipitur sensatio. Hujus ut particeps evadat corporis altera pars , novus spirituum impulsus , nova debet adesse reflexio. Nec simili modo semper impingunt , nec simili repelluntur. Hinc diversa diversis partibus sympathia. Hinc iisdem sæpe non eadem est. Attamen collisionis corporum regulis dociles obtemperant liquores nervei. Quoquo modo reflectantur æquales sunt anguli reflexionis & incidentiæ. Licet truncus idem nerveas quibusdam partibus fibras dividat , non ideo constans inter ipsos affectionum consensus. E contra , partes aliæ , fibras è diverso trunco mutuantes sympathicum quandoque sentiunt commercium. Quinetiam duas uni tertiæ sympathicè respondentes deprehendas , dum inter se nihil communicent. Nulla proinde certa reciprocatio. Aliundè major vel minor fluidi animalis concussio , prout vividioribus , vel remissioribus impressionum ictibus agitur. Ubi grata venit sensatio , tum leniter ad cerebrum deferuntur motus undulatorii. Mira præcipuè cordis & oculorum communicatio. Illius intimos sensus oculi furantur , singulos explicant , palam produnt. Nec immeritò loquaces habentur. Hujus commercii vinculum duplex ; sexta quintaque nervorum conjugatio. Quæ dum cordi & oculis inferuntur , faciliè spiritibus animalibus permittunt iter , ut ad illas partes alternâ vice resilire queant. Numerosam quintum par ramorum sobolem spargit. Harum ope committitur pluribus corporis partibus relatio. Nec ei jam mysteria forent insigniores sympathiæ effectus , quem non lateret parvis hujus universa distributio. Saltem notum est ex eo fibras ad faciem & cor diduci multiplices. Hinc facies affectionum cordis delineationem accipit , harumque instar speculi reddit effigiem. Cor vicissim faciei quàm sæpe consentit ! Illud blande movet , osculi suavitas. Voluptatem ipsi per nervos molli amne devehunt spiritus animales. Huic expanditur hanc penitus concipit ; indeque lætiùs exultat. A mechanico igitur fluidi animalis impulsu & reflexione sensationes & sympathici motus necessariò dependent. *Nullos proinde aptiores huic fluido tubos inveneris.*

V.

SYSTEMA ex arbitrio condere non operosum. Validis argumentis fulcire labor. Vix extructum sæpè corrui. Pravo subnixum fundamento brevi dat ruinam. Nova in dies deteguntur , nova excogitantur. Hypothesi truditur hypothesis. Unaquæque ad tempus viget. Sympathiam occultis qualitatibus veteres adscripserant. Fictos quosdam corporum ciebant appetitus. At ipsi , suæque jamdudum evanuerunt deliria. Statutis nunc legibus sympathicæ affectiones parent. Omnia mechanicè peraguntur. Et ista quidem optimè. Quid verò inconspicuos admisisse liquores juvat ? Quid canales quorum vix concipiatur exilitas ? Nervum ex imperforatis fibrillis conflatum dicamus ; fibræ omnes *Vibratilitate* pari donentur : Jam quanto commodiùs , quanto faciliùs exinde fluat sensuum communicatio ! Quæ ab objectis externis , funibus nerveis advenient impressiones , has continuò ad cerebrum usque tremuli deferent. Nec illis vario spirituum animalium impulsu & reflexione opus erit. Verùm hæc , quàm acuta , non ideo tam vera nobis obijciuntur. 1o. quidem non æque imperpicui sunt scaturientes per nervos liquores. Observabilis quandoque succus nerveus adest in recenter natis quorundam animalium Catulis. Si truncus

major vinculo constringatur ; & ita liquori transitus intercludatur, tum supra ligaturam nervus intumescet. In eodem puncto illum interfeces, extillabit viscosus humor. 2<sup>o</sup>. *Vibratilitatem* nervorum fibris non negaverimus. Hujus ope, objectorum impressiones in cerebro, vi sociâ, intimius delineantur. Verum quid valet ipsa, spirituum animalium consortio carens? Num funiculi mollioris subsultus, aut levis succussio excitatum in extremis corporis inferioribus, motum ad superiora poterit remittere? Aut si possit quàm imbellis erit impressio! Quàm hebetes sensus! Sola igitur *Vibratilitas* sensationibus producendis impar. Quosdam offendit alterna spirituum animalium à cerebro ad partes, & à partibus ad cerebrum incurssio. Ea determinatio, cum *Undulationibus* contrariis, ab objecto sensibili illatis difficillimè concilianda videtur. Verum spiritus, torrentis instar non rapido feruntur impetu. Adeò lenis influxus est, ut à causâ quavis impellente mutari queat, His omnibus defensa prodeat Conclusio.

*Ergo Nervi, Canales.*

### DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

|                              |                                   |                               |
|------------------------------|-----------------------------------|-------------------------------|
| <i>M. Natalis - Maria de</i> | <i>M. Jacobus - Franciscus le</i> | <i>M. Jacobus - Antonius</i>  |
| <i>Gevigland.</i>            | <i>Chat de la Sourdiere.</i>      | <i>Millet.</i>                |
| <i>M. Franciscus - David</i> | <i>M. Joannes - Franciscus</i>    | <i>M. Michaël Péaget.</i>     |
| <i>Hérissant.</i>            | <i>Iséz.</i>                      |                               |
| <i>M. Antonius Bergier.</i>  | <i>M. Carolus - Franciscus</i>    | <i>M. Claudius - Antonius</i> |
|                              | <i>Boutigny des Preaux.</i>       | <i>Renard.</i>                |

Proponebat Parisiis JOANNES LE THIEULLIER, Parisiensis;  
Saluberrimæ Facultatis in Universitate Parisiensi Baccalaureus Medicus,  
A. R. S. H. 1743. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAV, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1743.